

Sammelband og

Scripta locorum in hoc volumine
exhibitata

- nr. 29 Pj. LXXXIV.
4. Matth. II. 17. 18.
38 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Epst. VI. 23.
18 Act. I. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 Epst. X. 11. 2.
36 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Jud. 9.
28 Apoc. XXII. 16.

4n
40

DE
SPIRITU SANCTO
DEI DIGITO
COMMENTATIO.
QVA
PENTECOSTALIA SACRA SOLEMNIA
A. R. M D C C L V I I I
SANCTE CELEBRANDA
INDIXERVNT
ACADEMIAE
IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR
ET
SENATVS ACADEMICVS.

HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS

SPIRITA SANCTO
DNI DILECTO
COMMUNICAT
PENTECOSTALIA SVBRA SOLAMINA
A MATERIA
SANCTA CEREBRANIA
DISCERNIT
ACADENIA
IVLIAE CALONIENSIS
PROFESSOR
ET
SENATVS ACADEMICAS
HELMSTADT

AS) 3 (SS

PRORECTOR

ET

SENATVS ACADEMICVS

S. P. D.

CIVIBVS,

Pentecostes sacra solemnia, ex more in Academiis re-
cepto, Vobis indicturi, Cives Charissimi; e re Ve-
stra fore existimavimus, si ipsammet illam S. S.
Triados Personam, cuius super Apostolos quon-
dam effusae memoriae hi dies antiquitus consecra-
ti sunt, Spiritum nempe Sanctum, tanquam Dei Digitum,
pie meditandum considerandumque Vobis proposueri-
mus. Sive enim nos toti fallimur, sive Vestra omnino
interest, locutionis, in ipsis sacris literis non semel sed
iterum iterumque obviae, et ab antiquae Christianae Ec-
clesiae Patribus Spiritui Sancto iam vindicatae, rationes
non ignorare; ipsis Sancti Spiritus, Vestraeque ad illum
relationis, cognitionem ampliorem distinctioremque in-
de efficere; et quidnam ex eodem fonte in Vos redundet
officii solatiique, exploratum habere. Dum itaque in eo
sumus, ut sanctae meditationis exemplum Vobis praece-
mus, in pertractando arguento nostro operam dabi-
mus,

A 2



mus, ut, primum, quid Digiti Dei locutio, tam ἀστιοδῶς absolute et accidentaliter de Deo in genere, quam ὑποσάτηνῶς et substantialiter de tertia Divinitatis Persona in specie sumta, secundum vim et ἐνέργειαν suam indiget, Vobis ante oculos ponamus; deinde vero ea quae ad applicationem argumenti praegnantissimi faciunt subnectamus.

Digiti Dei locutio, ut iam subinuimus, non ecclesiastica tantum, sed biblica quoque est. Enimvero vel quinque in sacris paginis Digiti Divini mentio fit, et quidem quater in *unitatis*, semel autem in *multitudinis* Numero; de qua Numeri diversitate infra erit locus dicendi opportunior. Quodsi loca scire cupitis, Cives, in quibus, vel de uno, vel de pluribus Dei Digits agitur; sequentem eorum omnium recensionem accipite. Primus locus est Exod. VIII, 15. in quo Magi Aegyptiaci, postquam in producendis pediculis artes suas elusas viderant, ad Pharaonem Regem dixisse perhibentur: אַנְכֶם אֶלְחִי וְהַנָּא *Digitus Dei ille est*. Secundus Exod. XXXI, 18. ubi Deus Mosi dedisse dicitur duas tabulas testimonii lapideas, scriptas בְּאַצְבֵּעַ אֶלְחִי *Digito Dei*. Tertius Deuter. IX, 10. ubi eadem res, quae loco secundo, iisdem fere verbis repetitur. Moses a Deo sibi datas dicit duas tabulas lapideas scriptas בְּאַצְבֵּעַ אֶלְחִי *Digito Dei*. Quartus Psalm. VIII, 4. in quo Psaltes Deum sic alloquitur: *quum adspicio coelos tuos, מִשְׁמָךְ opus Digitorum tuorum, lunam et stellas, quae parasti; cogito, vel dico: quid est homo miser? quod recorderis eius etc.* Quintus denique Luc. XI, 20. in quo Servator noster contra Iudeos, ipsum daemones per horum principem expellere calumniantes, ita argumentatur: *si vero εἰς δυνάτων Θεού Digito Dei eiicio daemones, igitur pervenit ad vos regnum Dei.* Videntis, Cives, vel ex ipsa hac locorum pluralitate, Digiti Divini locu-

locutionem, uti in oraculis divinis haud infrequentem esse, sic Vestram quoque mereri attentionem. Agite ergo, et nobiscum locutioni excutienda operam impendite. Suppetas nobis more suo et hic ferent Versiones sacrae antiquissimae, egregium illud Hermeneuticae sacrae adminiculum. In loco quidem ultimo, omnes, quas lustravimus, Versiones, quibus et ipse Xavier, in sua *Historia Christi Persica*, multis caeteroquin fabulis contaminata, p. 256. accedit, illa graeca *ἐν δαυτύλῳ Θεῷ*, veluti ex condicio, ad literam expresserunt. Atque eadem ferre ratio est in loco penultimo, nisi quod hic Versio Arabică Romana *Savariana pro digitis habeat manus*, et, suffragante Chaldaica, LXX viralī, Armenica, et Vulgata, opera pro opere. Immo vero et in tribus reliquis locis Versio Syriaca, Samaritana, LXX viralis, Armenica, et Vulgata (quibus quoad Exodi ultimum et Deuteronomii locum addi debent Chaldaicae *Onckelosi* et *Ionathanis*) phrasin Hebraeam verterunt potius, quam explicarunt. At secus se res habet cum Chaldaica illa utraque, in loco primo, item Arabică utraque, *Polyglotta* et *Erpeniana*, nec non Persica *Tawusi* Translatione. Quod enim ista Magorum verba Exod. VIII. attinet; haec Chaldaeus *Onckelos* sic interpretatus est: *plaga (percussio) a coram Domino illa est*; Chaldaeus *Ionarhan*, magis adhuc paraphrastice: *non ex robore potentiae Mosis et Aaronis hoc est, sed plaga immissa a coram Domino illa est*; Arabs Polyglottus: *hoc vulnus ab (apud) Deum est*; Arabs Erpenianus: *noxa Dei illa est*; et Persa denique: *factum (opus) Dei est hoc*. Quoad vero ultimum Exodi et Deuteronomii locum; in illo Arabs Polyglottus habet: *actione (vel opere) Dei*, et Erpenianus: *potentia Dei*; in hoc vero Arabs uterque: *potentia Dei*; et in utroque loco Persa: *opere Dei*. Quidnam pretii hisce interpretationibus ex aequo statuendum sit,

ex iis quae iactis illis fundamentis nunc superstruemus
 dijudicari poterit. Extra oleas nimium quantum vagare-
 mur, Cives, si quid sit digitus, quidque Deus, seorsim
 quidem Vobis multis explicare vellemus. Sunt enim
 ambo illa vocabula in se notionis vulgo notissimae.
 Id forte non frustra observatum videri posset, quod
 digitus vocabulum apud ipsos sacros Scriptores, aequo
 ac apud profanos, non manus solum, sed et pedis
 partem propriè significet; cœu vel ex i Par. XX,
 6. constat, ubi cuidam grandioris staturaे viro suis
 dicuntur *seni digiti quatuor et viginti*, unde Syrus Interpres
 ex loco parallelo II Sam. XXI, 20. in quo explicite pedum
 digitus commemorantur, recte supplevit *manuum et pedum*.
 In nostra tamen phrasì non pedis, sed manus partem in
 censum venire, ex sueta in locis sacrī parallelis digitorum
 et manuum alternatione, de qua mox plura, elucescit.
 Atenimvero, si vel maxime vocabula illa simplicia intel-
 ligamus, nec tamen locutionem compositam, vel quid sit
 Dei Digitus, illlico intelligimus. Hic quidem Rhodus,
 hic saltus. Tentabimus interim, an locutioni quodammodo
 obscurae lucem foenerari possimus. Iure quodam
 nostro praesupponimus, phrasin nostram propriè nullo
 modo accipi posse. Fuit illa quidem, fatemur, homi-
 num ignorantia, dicemus? aut insania, qua Deum vere
 corporeum, atque his illis membris corporis compositum
 sibi finixerunt. Nos tamen ex rationis et
 revelationis divinae principiis meliora edocet, scimus,
 Deum esse Ens simplicissimum, omnisque compositionis
 expers; quamobrem digitos propriè nec habeat, nec in-
 digeat. Quodsi vero nihilominus ipsa Sacra Scriptura
 Deo digitos tribuit, sensum proprium hic deferere, im-
 propriumque sectari nos iubet sana quaevis Hermeneutica.
 Nimirum pertinet nostra phrasis ad illud genus impro-
 pria-

priarum locutionum, quae ab hominibus ad Deum per quandam similitudinem translatee sunt, quasque *anthropopathicas* vulgo vocare solent. Est quidem ista denominatio, si $\alpha\mu\tau\omega\beta\alpha\lambda\gamma\epsilon\nu$ velimus, illis deum locutionibus nativa atque domestica, in quibus Deus, eiusque attributa et opera, verbis ab *anima humana*, huiusque facultatibus et affectibus, desumptis repraesentantur; cum contra eae locutiones, in quibus Deus, et quae ad ipsum pertinent, verbis a *corpore humano*, huiusque membris et motibus, desumptis sistuntur, et ad quas nostra phrasis stricte referenda est, *anthropomorphicae* preffiss dicantur. Quicquid vero huius sit, per nos licet; five quis utrumque illud locutionum genus, vel si mavis, speciem, sub *anthropopathicarum* locutionum nomine, hoc latius sumto; five sub *humanarum* locutionum nomine generaliori comprehendere velit. Sumus enim nos in verbis faciles, dummodo in re conveniatur. Nostrum iam est, de locutionibus istis humanis, ea quae ad intelligentiam illam nostram singulariter apprime faciunt, generatim paucis praecipere. Ante omnia teneri debet, esse hasce locutiones in Sacro Codice, si quae aliae, frequentissimas. Anthropopathicas stricte sic dictas missuri, et anthropomorphicas tantum, immo et inter has eas folas, quae nostrae geminae sunt, selecturi, provocamus saltem ad illa loca, in quibus Deo manus, et speciatim quidem *dextra*, itemque brachium, pugillus, palma et spitzama tribuuntur, quaeque omnia non nisi in sacris literis plane hospiti ignota esse possunt. Origo porro earundem locutionum est singularis quaedam Dei ad intellectus nostri imbecillitatem $\sigma\gamma\pi\kappa\alpha\tau\alpha\beta\alpha\sigma\tau\epsilon$, qua cum hominibus agens humanitus loqui voluit; eo quod de Deo invisibili vix ac ne vix quidem conceptum aliquem sibi formare possent homines, nisi ille sub materiali quodam sensusque incurrente symbolo ipsis

ipsis sisteretur. Quod denique ad explicationem illarum
 locutionum attinet; in genere explicatio fieri debet *περιηγησις*, sive, prout Deum decet, ita ut quidquid imperfectionis
 et vitii hominibus adhaeret, tanquam summae Dei
 maiestati repugnans, eamque tollens, a Deo removeamus;
 quidquid vero realitatis et perfectionis hominibus
 inest, Deo tribuamus. Speciatim, primo, ad singulalia
 varia, vel conceptus, qui in locutionibus humanis con-
 iunctim comprehenduntur, et proprios et impropios,
 attendendum, impro prique a propriis distinguendi sunt.
 Secundo, conceptus impropios nos reducere oportet ad
 proprios; id quod fit, si praevia meditatione, quaenam
 vis operandi in hominibus his illis membris se exserat,
 et quinam effectus vel consequentia membrorum aequae
 ac facultatum usum actionesque apud homines excipient,
 Deo tam vim istam quam hosce effectus et consequentia
 adscribimus. Tertio, cum qualibet perfectione divina,
 ex locutionibus humanis a nobis eruta, hominum limi-
 tationis vice, infiniti notionem coniungere debemus. Hosce
 de locutionibus humanis explicandis canones univer-
 sales, circa Digitum Dei locutionem in individuo nunc ap-
 plicemus. Quod si ad hominum digitos attendimus;
 primo omnium nobis in mentem venire debet, istos
 pertinere ad ea corporis humani organa, quorum bene-
 ficio homines suam operandi facultatem exserunt, opera-
 que bene multa peragunt. Tota quidem manus, latissi-
 me summa, plurimorum operum extenorum instrumentum
 est; quamobrem non solum ipsam ob insignem
 usum suum instrumentalem ab Hebreis pro quovis in-
 strumento ponitur, sed et opera ipsius, tanquam com-
 munissima aequae ac utilissima, in sacris literis reliqua-
 rum corporis partium opera includunt, immo vero quae-
 cunque opera significant, Eph. IV, 28. Iob. I, ii. Hag.
 II,

II, 14. Digi^ti vero, quemadmodum sunt pars manus, ita et in omnibus manuariis operibus partem quandam sibi vindicant, tam in iis, quibus cum reliquis manus partibus ex aequo fere inserviunt, quam maxime in illis, in quibus digitorum, vel solus, vel praecipius saltem usus est, quaeque his deficientibus prorsus peragi non possunt. Hinc apud sacros scriptores manuum et digitorum opera modo copulantur, ut Ies. II, 8. XVII, 8. perinde ac apud profanos *Prudentius* utraque coniunxit, de hominis creatione scribens, *creasse manum Domini corpus mortale, lutumque composuisse digitis;* modo pro se invicem alternant, vt Psalm. CII, 26. coll. VIII, 4. Quandoquidem ergo homines vim suam operandi per externa corporis membra, et speciatim quidem digitos, manifestant; Deo analogice digitum vel digitos Sacra Scriptura tribuit, atque sic generatim exprimit quascunque Dei operationes, sive et ipsum harum operationum principium, vim divinam, quatenus haec operationibus ipsis exseritur. Scilicet Deo per spiritualitatem ipsius vita necessario competit, qua in perpetuo actu est, omniumque operationum suarum rationem ipse continet. Sunt vero operationes divinae, vel internae, vel externae. Internae actibus ipsis personalibus, in ipsa essentia divina immanentibus, absolvuntur. Externae autem, nobis maxime operationes dictae, sunt opera reliqua transitiva, ad res contingentes extra Deum relata; eoque referenda sunt, tam ipsa Dei de rebus contingentibus decreta, obiectorum saltem respectu habito, quam horum decretorum executio, tum in operibus communibus, creationis, conservacionis, et gubernationis, tum in privatis economicis, restituendam hominum salutem concerentibus. Eadem haec opera Dei externa omnia porro specialius considerari possunt secundum varia adiuncta, vel attributa, in illis

lis maxime conspicua, et quorum ipsorum emblemata quoque sunt digiti. Iam praecipua operum divinorum adiuncta vel attributa censeri debent: potentia, sapientia, et expediendi facilitas. Itaque, quomodo unumquodque horum Deo improprie tribuatur digitis, videamus. Primo digiti emblemata sunt omnipotentiae Dei. Verum quidem est, in manu, speciatim dextra, et brachio, plus esse roboris quam in digito. Hinc non solum istis instrumentis in Sacra Scriptura robur *ęrrāc*, adscribitur, Exod. III, 19. Ies. XLIV, 12. Dan. XI, 6. sed et iisdem omnipotenti divina, non minus quam ea quae cum hac arte coniuncta sunt, ut potestas, protectio, vel etiam afflictio divina, et si quae alia, clarissime significantur, Exod. XV, 6. 16. Psalm. XLV, 5. Job. XIX, 21. Ies. LIX, 2. Luc. XXIII, 46. Sed tamen et digitis, maximeque pollici, suum constat robur, utpote quibus res fortiter firmiterque tangere, apprehendere, et tenere possumus. Apud Hebraeos quoque digitos symbolum roboris fuisse, comprobant partim Iudeorum in die desolationis Hierosolymitanae lacrimae istae: *digitii mei facti sunt debiles*; partim ipsius Nominis Hebrei, quod digito indiderunt, forma. Undecunque enim etiam vocabuli Hebrei אַצְבָּע origo repetatur, quippe quam alii ab *indicando* repertunt, eo quod digitis res *indicare* solemus, praeter Graecium et Arabustum locum Ies. LVIII, 9. conferentes, alii vero ab *intingendo*, quoad hunc digitorum usum excitantes locum Luc. XVI, 24. ubi et Syrus ipsam Radicem Chaldaeo-Syram צְבָע intinxit cum suo Nominis derivato נַצְבָּע *digitus* coniunxit; tamen נ illud Heemanticum, cum eo quod in geminis aliorum membrorum Nominibus נַחֲנָה *manus* אַזְרָע *brachium* et אַגְרָע *pugnus* observatur, eiusdem indolis est, atque robur, firmitatem, firmamque consistentiam subinnuit. Quae cum ita sint, nulli dubitamus asse-

afferere, sub Digi^tti divini locutione opera divina nobis re-
praesentari, tanquam infinitae ipsius potentiae, omnium
rerum creatarum vires simul sumtas longissime exsupe-
rantis, signa evidentissima. Nempe eadem illa vis divina, de
qua supra diximus, nobis omnipotentiae nomine venit, qua-
tenus ad ea in universum omnia, quae Deus vult, nul-
lamque contradictionem involvunt, actu praestanda, est
sufficientissima. Vtitur autem Deus hac vi infinita, vel
absolute et immediate, sola voluntate sua, et in momento
existentiam rebus dans, quomodo in miraculis agere so-
let, vel ordinate et mediate, successive mediisque adhi-
bitis operans. Prior agendi ratio ex nostro concipiendi
modo maiorem virtutis divinae gradum indicat quam po-
sterior, ideoque etiam Ἐξωτερικὸς Δεῖς Digitus appellari poter-
rit. Per se tamen vis divina in omnibus operationibus
est una eademque, sive aequalis, atque nec maius nec
minus recipit, ut ut nos pro conceptu nostro in illa
vi quaedam distinguamus. Caeterum huius omnipoten-
tiae divinae, cuius tam in naturae quam in gratiae regno
specimina exstant innumera, consequens proximum est
potestas divina, sive absolute et summum Dei in res u-
niversas dominium, idemque sub Digi^tti divini locutione
eo magis simul comprehendendum, cum ea in potestate no-
stra habeamus, quae digitis tenemus. Secundo digitⁱ
emblema sunt sapientiae Dei, in operationibus divinis ma-
xime conspicuae. Manuaria quidem opera, sive ut clari-
lius loquamur, illa opera, in quibus peragendis homi-
nes digitis non magis opus habent quam reliquis totius
manus, latissime sumtæ, partibus, immo his magis iu-
vantur quam illis, plus virium et roboris quam ingenii
et artis postulant. At vero ista opera, circa quae digito-
rum maximus et fere solus usus est, plus ingenii et artis
quam virium corporis requirunt. Pertinent ad haec cum-

primis elegantissima subtilissimaque textorum et acupi-
 ctorum opera, quae ab artificibus, ingenio et arte excel-
 lentibus, accuratiore industria dgitis affabre elaborantur.
 Nam quid prohibet, quominus Digatorum Dei locutio-
 nem, maxime ubi de operibus divinis agitur, etiam ab
 eiusmodi humanis artificibus desumptam esse, atque exac-
 tissimam exquisitissimamque operum divinorum effe-
 ctionem, quae omniscientiae et sapientiae divinae conse-
 quens est, significare statuamus? Sane dicuntur res a Deo crea-
 tae opera digatorum et manuum ipsius, eadem phrasit,
 quam artifex humanus de operibus ab illo elaboratis us-
 surpat, et quae ideo etiam de istis idololatrarum imagi-
 nibus, in quibus eleganter formandis hi artis plurimum
 adhibebant, usurpatur Ies. II, 8. XVII, 8. Eundem respe-
 ctem comprobant, Hebraei Verbi נָשׁוּן facit, huiusque
 derivatorum נָשׁוּן factum, opus, quae singula de Deo eiusque operibus in sacris adhibentur, origo,
 ususque reliquus. Enimvero, quoad primum, Verbum
 נָשׁוּן primitus procul dubio operiendi vel tegendi significa-
 tionem obtinuit; quae significatio optime quadrat ad lo-
 calib. XV, 27. XXIII, 9. et ex qua quoque Esavus habet No-
 men suum, utpote pilis operitus, Gen. XXV, 25. Ex prima vero
 illa operiendi significacione deinceps per Metonymiam orta
 est altera operandi et faciendi significatio; eo quod homines,
 et speciatim artifices, opus aliquod elaboraturi, corpore
 in rem incumbere, atque sic eam operire solent; unde forte
 etiam Latini dicunt incumbere rei, e. g. literis, pro o-
 peram dare rei et literis; immo et ipsi nos Germani, sich
 worauf legen. Deinde, quoad reliquum Verbi נָשׁוּן eius-
 que derivatorum in sacris literis usum; illa tam scorsim de
 artificibus et artificiis adhibentur, perinde ut apud Graecos
 Latinosque quaevis monumenta ingenii, et speciatim car-
 mina, καὶ ἔργα opera dicuntur, quam cum Verbis נָשׁוּן
 et

et **בְּרִית** coniunguntur, quorum prius *ingeniose opus artificiosum excogitare*, posterius vero *arte phrygionica variegare vel acupingere significat*; ceu collatio locorum Exod XXVI, 1. XXXI, 4. XXXV, 32. Ps. CXXXIX, 15. II Par. II, 13 edocebit. Atque sane res ipsa quoque loquitur, in operibus divinis maxima deprehendi artifia, ex quibus maximum illum **בָּרוּךְ** et **הַלְלוּ** *excogitatorem et factorem vel artificem*, eiusque infinitam scientiam sapientiamque, cognoscere possumus. Ex innumeris brevitatis gratia unum saltem exemplum attingemus. Ipse ille Vates Psaltesque regius, in Psalmo suo CXXXIX, v. 14. 15. admiranda Dei opera in genere, et speciatim suum et ipsius in recondita uteri materni officina fabricationem admirabilem, celebrans: *non abscondita fuerunt, inquit, ossa mea praete, Deus, quoniam affubre factus sum (בְּרִיתְךָ) in occulto, acupictus sum (בְּרִיתְךָ) in inferioritatibus terrae.* Immo vero admiremur etiam nos nostram in utero materno fabricationem artificiosissimam; admiremur in hoc microcosmo, aequa ac in macrocosmo, maxime coelo noctu constellato, pulcherrimam tot singulorum membrorum distinctionem et ordinem, utrumque sapientissime non minus excogitatum quam effectum, sicque vesti phrygioniae, variis coloribus et figuris artificiose exornatae, simillimum. Tertio ditti emblema sunt summae operum divinorum, respectu Dei operantis, facilitatis. Ex superioribus iam constar, illas operationes, quas digitorum ope maxime peragunt homines, vel nihil, vel saltem oppido parum virium requirent. Propter id ipsum, et ob magnam digitorum agilitatem, illae operationes caeteris paribus citius etiam expediti possunt. Addimus, homines digitis exiguum quid tollere, elevare, et tractare. Iam simili modo Deo omnes operationes, sive mediatae, sive immediatae, ex aequo sunt facillimae, atque circa omnem la-

borem et molestiam ab ipso peraguntur. Hinc Sacra Scriptura asseverat, Deo nihil referre ad facilius aliquid efficiendum, quam validis aut infirmis remediis utatur i Sam. XIV, 6. II Par. XIV, 10. Hinc eadem affirmat, ad solam manus extensionem, immo ad solum Dei dictum et mandatum, res illico existere, atque more ministrorum, qui mandata excepturi promteque exsecuturi coram Dominis suis stant, adstant, Iob. I, II. Psalm, XXXIII, 9. coll. Gen. I, 3. sq. ubi ייְהוָה וְיַעֲמֹד se continuo excipiunt. Immo ipse Deus caelos, aequa ac terrae pulverem montes colles et aquas, tanquam exiguum quid proponit, quod pugillo ac spithama sua comprehendenter et mensuraverit Ies. XL, 12. coll. Prov. XXX, 4. Sed iam sufficient haec ad facilitatem quorundam operum respectu Dei delineandam et demonstrandam. Atque simul ea, quae de tertio illo digiti emblemate dicenda habuimus, diximus. Antequam vero ultrius progrediamur, promissi nostri memores, de illa Numeri diversitate, qua modo unus, modo plures digitii Deo tribuuntur, nonnulla subiiciemus. Est illa viorum doctorum fere omnium sententia, Pluralem quidem Digitorum Dei Numerum, qua Numerum, nihil in se habere insoliti, ideoque stricte retineri posse; Singularem vero Digihi Dei Numerum, si non in omnibus locis allegatis, saltem in illis, in quibus tabulae legis Dei Digo inscriptae dicuntur, tanquam per quandam Numeri Enalagen pro Plurali positum esse accipendum; eo quod, uti pro argumento maxime afferunt, non digito sed digitis scribamus. Iam et nos dicemus, quid sentiamus. Quum tota, five Digitorum, five Digihi Dei locutio ab hominibus ad Deum translatâ sit, ceu supra probavimus, et homo physice perfectus non unum sed plures digitos habeat, immo etiam plurima externa opera congregatis digitis peragat; utique omnium minime mirum nobis videri

videri debet, quod Deo in multitudinis Numero Digi^ti improprie tribuantur. At vero nec est quod alienum nobis videatur, si Sacra Scriptura de Dei Digito quasi unico in unitatis Numero loquitur, adeo quidem ut circa Numeri Enallagen illud explicari haud posse arbitremur. Nos Numerorum permutationem, quam Enallagen vocant, non in genere totam rei^cimus. Sunt illius figurae exempla in sacris quoque, et evidenteriora, et frequentiora, quam ut negari possit. Quid? quod circa ipsum digiti vocabulum alibi quidem Enallagen lubentes admittimus, e. g. Marc. VII, 33. ubi Pluralis pro Singulare positus videtur, comprobante utroque Persa Interpretate, Polyglotto et Whelockiano; item Io. XX, 25. 27. ubi contra Singularis pro Plurali positus videri potest, suffragante hic iterum Persa Polyglotto, cum Syro et Armeno Interpretate. Sed in nostris locis illa Enallage non opus esse existimamus. Cum enim homines, si vel maxime plures digitos habeant, iisque coniunctim operentur ut plurimum, uno etiam digito varia peragere possint, et peragant, ut statim exemplis quibusdam probabimus, quidni et Sacra Scriptura de Dei Digito tanquam uno loqueretur? Verum quidem est, nos hodierno more scribentes non unum sed plures digitos applicare. At et uno digito scribere possumus, si pingendo scribimus. Sic Salvator noster Io. VIII, 6. in terram scripsisse perhibetur τῷ δαυτῷ, ubi et omnes Versiones, excepta tantum Aethiopica, Singularē Numerū retinent. Vno digito etiam aliquid monstramus et indicamus; ut plura uno digito praestanda non commemoremus. Atque cum tota illa humana locutione vis Dei operans, variis operationibus demonstrata, in genere duntaxat indigitetur; Sacra Scriptura, modo de Digitis, modo de Digito Dei loqui potuit, rei significatae capite in utroque casu eodem manente. Praeterea Numeri

meri illa diversitas de industria forte est adhibita, suamque habet Emphasim. Enimvero Numerus Pluralis, ut alibi non raro rei varietatem, multitudinem, magnitudinem et excellentiam emphatice notare solet, ita et in nostra phrasi vim Dei operaticem, tanquam variis innumerisque operationibus se exercentem, et ipsammet qua omnia adiuncta ac attributa maximam excellentissimamque, inferre potest. Singularis vero Numerus, pro usu alibi aequo observato, etiam hic coenotare poterit, partim, unam eandemque esse vim divinam, ex qua tanquam principio omnes operationes Dei profluant, partim, ipsas has operationes omnes esse connexas, ita ut unam quasi operationem efficere videantur, partim denique, singularibus exemplis et unoquoque opere vim istam divinam se manifestare.

Hactenus quidem, quidnam per Dei Digitum intelligi debeat, si phrasis simpliciter absolute atque essentialiter accipitur, obseravimus. Haec vero sicuti extra omnem dubitationis aleam posita sunt, ita etiam non minus certum exploratumque est, per Dei Digitum tertiam S.S.Triados Personam, Spiritum Sanctum, intelligi et posse et debere, si phrasis illa substantialiter personaliter et specialiter capitur. Atque in his nunc uberiorius dilucidandis demonstrandisque altera Commentationis nostrae pars versabitur. Iam ex veteribus Patres ecclesiae per Dei Digitum Spiritum Sanctum intellexerunt; prouti vel apud illos ipsos, vel apud eos qui illorum scripta excerpterunt, legi poterit. Inde etiam in Cantico quodam ecclesiastico vetustissimo Spiritus Sanctus *Digitus in manu Dei dextra* salutatur. Veterum sententiam deinceps adoptarunt, magisque confirmarunt, recentiores optimi quique Theologi, licet primam istam phraseos acceptio-

ptionem ex aequo suam fecerint; utpote, in rebus sibi
 non contradictibus, sed consonis, faciliterque subordi-
 nandis, unius positionem non esse alterius exclusionem,
 cum ratione rati. Fundamentum vero huius, tam veter-
 rum, quam recentiorum sententiae, et cui etiam nos no-
 strum calculum adiūcimus, duplex est. Primum, ipsius Sa-
 crae Scripturae, quae Spiritum Sanctum Dei Digitum
 nominat, auctoritas. Alterum, rei ipsius evidentiā, five,
 variarum, propter quas Spiritus Sanctus Dei Digitus
 appellari potest, similitudinum copia. Vrumque funda-
 mentum nunc ex instituto excutiēmus, quo facto, omnia
 quae pro scopo nostro de hoc arguento dicenda habe-
 mus, prolata erunt. Primum, ut diximus, appellatio-
 nis fundamentum est Sacrae Scripturæ auctoritas. Nul-
 la quidem in ipsis illis locis, in quibus Digi-Dei locutio
 occurrit, quaeque in ipso huius Commentationis limine
 plene excitavimus, facta est interpretatio, ex qua certo co-
 gnoscere possemus, Spiritum Sanctum esse Dei Digitum.
 Atenimvero, si locorum illorum allegatorum quaedam
 cum suis parallelis, conseruamus; in hisce Sacram Scriptu-
 ram, optimum illum sui ipsius ubicunque Interpretēm,
 Digi-Dei locutionem per alteram illam Spiritus Dei ex-
 plicare, in aprico est. Ex pluribus, quas instituere posse-
 mus, locorum collationibus, duas fātem omnium evi-
 dentissimas in medium proferemus. Luc. XI, 20. Ser-
 vator ille noster se per Digitum Dei daemones expellere
 afferit. Nescitis, Lectores, quidnam Servator intenderit
 Dei Digito? Agite, consulete Matthaeum, eandem Christi
 orationem Cap. XII, 28, proponentem h. m. *si autem ego*
Spiritu Dei cūcio daemones, caetera. Porro Exod. XXXI,
 18. et Deut. IX, 10. coll. Ex. XXXII, 16. tabulae istae le-
 gis inscriptae dicuntur Dei Digito. Haeretis etiam hic,
 quid sit ille Dei Digitus? Audite Paulum Interpretēm,

II Cor. III, 3. clarissime dicentem, idem quod olim tabulis lapideis inscriptum fuerit, per eundem Dei Spiritum vivum carneis tabulis cordis inscribi. Quid amplius opus habemus testimonii bibliis, Spiritum Sanctum esse Dei Digitum, postquam ex ipsis Sacrae Scripturae ore duo testimonia audivimus? Sed tamen non sufficit scire, quod ipsa Sacra Scriptura Spiritum Sanctum Dei Digitum nominet. Scire nos quoque oportet, quare eadem eundem sic nominet. Atque sic ad alterum istud fundamentum, de quo modo ante diximus, sponte delabimur. Inseruant hic nobis pleraque de Digi^tti Dei locutione in genere supra observata, unde illa ad Spiritum Sanctum in specie applicabimus, interspersis hic illic quibusdam novis observationibus. In prima huius Commentationis parte evicimus, Digitum Dei in genere nihil aliud esse posse, quam operationes divinas, sive, vim Dei operatricem, quibuscumque operationibus, et maxime quidem externis, iisdemque attributis variis, ut, potentia, sapientia, et facilitate, conspicuis, demonstratam. Atqui secundum analogiam Digitus Dei in specie erunt operationes divinae personales, sive, vis Dei personalis, per quam Deus quaecunque opera personalia peragit, quamque Spiritum Sanctum esse novimus. Spiritum Sanctum esse viam Dei personalem, vel hypostaticam, per quam Deus operatur, partim a priori, ex interna huius Personae ad duas reliquias Personas divinas relatione, partim a posteriori, ex testimonio bibliis cognoscimus. Quoad prius, ex revelata de S. Trinitate doctrina constat, Spiritum Sanctum ad Deum in se consideratum pertinere tanquam suppositum intelligens, sive Personam, sicutque a reliquis Personis divinis non essentiali aliqua re differre, sed interna ab utraque illa processionis relatione, qua eadem essentia divina cum ipso communicatur, quaque sublissit. Quoad posterius

posteriorius autem, in sacris literis Spiritui Sancto non solum simpliciter vis tribuitur, ut Act. I, 8. sed idem ille etiam vis Dei exserte dicitur, e. g. Luc. I, 35. coll. v. 17. c. XXIV, 49. coll. Act. I, 4. 8. Deut. IV, 37. coll. Ex. XXIII, 21. perinde fere ut Filius etiam hoc nomine venit I Cor. I, 24. aliasque personae *virtutes* dicuntur Gen. XLIX, 3. Act. VIII, 10. I Petr. III, 22. et, quod eodem redit, *sceptrum roboris Domini* P. C. CX, 2. Hisce, aliisque rationibus adducti, quidam iisque optimae notae Interpretes, Gabrielis Nomen, *virum fortē Dei* significans, pro Nominis Spiritus Sancti symbolico in sacris habuerunt. Atque sane vel ipsi Muhammedi Spiritus Sanctus Gabrielis Nominis venit, ceu ex illius Corano liquet. Certum ergo est, Spiritum S. esse vim Dei hypostaticam, per quam Deus robur suum potentissime demonstrat quibusunque operationibus. Quaenam vero hae sunt operationes? Supra operationes divinas generatim in internas et externas dividimus. Nam internae operationes, h. e. actus divini personales, in essentia Dei immanentes, proprio Spiritui Sancto non competit. Enimvero, quam duae reliquae Personae divinae interno suo spirationis actu iam sufficiant ad teriam Personam constituant; huius actu quodam interno in S. S. Trinitate non opus est. Oritur tamen ex illo interno spirationis actu Patris et Filii relatio quedam interna huius Personae, nempe processio eiusdem a Patre et Filio, quae minus commode actus internus diceretur, cum eius respectu Spiritus Sanctus tanquam effectus operationis internae magis considerari possit. Externae autem operationes, hoc est, actus divini ad res extra Deum transentes, vel ad has relati, Spiritui Sancto aequae ac Patri et Filio competit. Quemadmodum enim omnia attributa divina, sive perfectiones infinitae, quarum omnium complexus essentiam Dei con-

stituit, quamque unam essentiam divinam tertia Persona
 cum prima et secunda, perinde fere ut digitus cum reli-
 quis membris corporeis unam substantiam vel corpus hu-
 manum efficit; ita et quicquid est operum Dei externo-
 rum omnibus Personis divinis debetur, etiam si hoc atque
 illud magis quam aliud, vel etiam uni Personae magis quam
 reliquis debeat, ceu ex iis, quae mox de operum externo-
 rum classibus dicemus, clarius patet. Immo ipsa de operi-
 bus istis externis decreta divina, non minus quam ho-
 rum decretorum executione, in tempore facta, omnibus
 Personis divinis communia sunt, per essentiae divinae u-
 nitatem. Hinc e. g. communis illa Personarum divina-
 rum de creando homine consultatio, Gen. I, 26 descripta.
 Atque, quoad istorum decretorum executionem, ipsis
 operationibus externis praestitam, hanc ab unaquaque
 Persona, cum iisdem adjunctis, quae supra operibus Dei
 generatim adiudicavimus, quorumque emblemata esse di-
 gitos adseruimus, esse factam, res ipsa loquitur. Sed,
 ne nimis multi sumus, et ut Spiritus Sancti Personae pro
 scopo nostro magis inhaeremus; quasnam partes in o-
 peribus Dei externis peragendis Spiritus Sanctus sibi vin-
 dicaverit, ex illorum recensione nunc protinus observe-
 mus. Omnia opera Dei externa, sive sunt oeconomica, si-
 ve naturalia. Oeconomica dicuntur ea omnia, quae ad
 restituendam hominum salutem, singularumque Personarum
 divinarum in illo negotio partes, proxime pertinent;
 denominationis ratione inde quod Parres ecclesiae incarna-
 tionem Christi Oeconomiam Dei appellitarunt, ut viderur,
 desumpta. Eadem haec opera ita porro sunt comparata,
 ut ex illis internam Personarum divinarum relationem et
 differentiam, utpote in illis et propter illa maxime re-
 velatam, evidenter cognoscere queamus, ideoque et-
 iam, pro specierum et Personarum varietate, certae Perfo-
 nae

nae omnium operum maxime competit. Nam, ut Pa-
 tris et Filii opera oeconomica mittamus, Spiritus Sancti
 opera oeconomica duo sunt. Primum est naturae Christi
 humanae formatio, eiusdemque dotibus ad officium per-
 agendum necessariis instructio. Vtrumque hoc speciale
 Spiritus Sancti in humana Christi natura negotium, et
 quicquid ad illud pertinet, sub symbolica *unctionis* Chri-
 sti Spiritu Sancto tanquam oleo locutione, per quam il-
 le ipsa Christi et Messiae Nomina cum Emphasi adep-
 tus etiam est, Io. I, 41. IV, 25. in sacris generatim
 comprehenditur, Ps. XLV, 8. Act. X, 38. Atque
 haec unctionio quoad decretum quidem iam facta e-
 rat in aeterno pacis confilio, ceu ipse Vnctus testatus
 est Prov. VIII, 23. Ipso tamen opere unctionio illa in
 temporis plenitudine demum facta est, postquam vati-
 ciniis typisque variis suo tempore etiam manifestata erat.
 Origo actualis unctionis fuit Spiritus Sancti super Mari-
 am ~~eternam~~, huiusque obumbratio, Luc. I, 35. per Ange-
 lum praedictum. Hac ratione Spiritus Sanctus in Maria par-
 tes humanae Christi naturae essentiales ipsem et miraculo-
 se produxit, sic novum illud in terra creans Ier. XXXI,
 22. productas vero partes statim sanctificavit, extraordi-
 nariis dotibus viribusque instruxit, et cum divina natura
 in unam Personam coniunxit. Hinc, typum praecurso-
 ris sui implens Noster Luc. I, 15. iam inde ex matris utero
 Spiritu Sancto impletus fuit, coll. Ps. XXII, 10. et vel puer
 Spiritum in ipso operantem habuit Luc. II, 40. 52. coll. I,
 80. Posthac Spiritus Sanctus super Christum adultum in
 baptismo sub columbae specie quasi de novo venit; quo
 figillo obsignatus Io. VI, 27. coll. Eph. I, 13. Exod. XXVIII,
 36. XXIII, 21. Hag. II, 23. a Spiritu actus, eoque plenus, mu-
 nus suum inchoavit, continuavit, et absolvit, ab initio us-
 que ad finem operationes, tam ordinarias, quam extraor-
 dinariae.

dinarias, sive miracula, maxime, per Spiritum cooperantem peragens, Matth. III, 16. Luc. IV, 1. Secundum Spiritus Sancti oeconomicum opus est missio eiusdem in corda hominum, ad applicationem salutis per Christum partae, ipsaque huius applicationis omnimoda procura-
tio. Non consensus solum omnium Personarum divina-
rum in procuranda hominum felicitate ita significandus,
sed et interna tertiae Divinitatis Personae ad reliquas rela-
tio requirebat, ut Spiritus Sanctus hocce alterum opus
specialissime in se reciperet. Ad ipsum vero hoc opus in spe-
cie referenda sunt operationes illae singulares, beneficiis
vocationis illuminationis regenerationis iustificationis et
sanctificationis stricte sumtae, quae omnia terminis gene-
ralioribus, sanctificationis, latius sumtae, renovationis,
et unionis cum Deo comprehenduntur, praestitae, cum
connexo quadruplici, quod vocant, Spiritus Sancti officio.
Sic Spiritus Sanctus, quemadmodum humanaam
Christi naturam efformavit, Christum etiam in cordibus
hominum efformat, Gal. IV, 19. Sic, quemadmodum in
tabulis istis lapideis, ita etiam in carneis cordium tabulis,
tanquam Dei Digitus, legem divinam scribit, novam effi-
ciens naturam, quae ipsamet Spiritus dicitur II Cor. III, 3.
coll. Ier. XXXI, 33. Gal. V, 16. Sic est alter ille testis, qui
de Christo etiam in cordibus hominum testatur, idem-
que viae dux, qui in omnem veritatem, tanquam viam
rectam, homines ducit, eamque praemonstrat, veluti Dei
Digitus, Zach. IX, 12. Io. XV, 26. 1 Io. V, 7. Sic denique,
tanquam fidelium aequa ac Christi etiam hoc respectu Spi-
ritus, coll. II Reg. II, 9. Luc. I, 15. 17. in fidelibus, templo suo,
veluti in Sanctuario illo V. T. Schechina dicto praesens habi-
tat, tanquam columna illa nubis super eis stat atque quiescit,
eosque dirigit Ies. LXIII, 11. 14. Num. IX, 16. X, 36. XI, 25. 26.
tanquam sigillum illis imponitur Eph. I, 13. IV, 30. cum
donis

donis suis multiplicibus, unde septem Spiritus dicitur Ap. I, 4. coll. Jes. XI, 2. super eos effunditur Joel. III, 1. eo baptizantur Matth. III, 11. Luc III, 16. Act. I, 5. XI, 16. XIX, 3. 4. et in ipsis tanquam officina sua quaelibet bona operatur i Cor. XII, 11. Ab oeconomicis operibus progredimur ad naturalia. Naturalia Dei opera, alias quoque communia dicta, sunt reliqua opera divina, non internam Personarum divinarum relationem mutuam adeo ut oeconomica significantia, omnibus vero Personis communia, licet uni in S. S. appropriative tribuantur. Iam Spiritui Sancto in specie eiusmodi operum duo vulgo vindicant. Vnum est doctrinarum divinarum revelationis immediata inspiratio; alterum reliqua salutis per Christum partae applicatio. Quum autem posterius, ut cum oeconomico illo missionis Spiritus Sancti, applicandae salutis ergo, opere arctissime connexum, convenientissimo illo loco suo supra iam tetigimus, nunc quidem de priore saltem agendum erit. Princeps S. S. auctor in genere esse debuit ipse Deus, utpote solus, et iure, et summis illis perfectionibus, quae ad sufficientissimum doctrinas divinas cognoscendi principium hominibus exhibendum requiruntur, praeditus, coll. I Cor. II, 5. unde nova ratio peti potest. In specie autem Spiritus Sanctus, ut omnis prophetiae auctor Num. XI, 25. XXIV, 2. sapientissimo quodam consilio opus illud sibi appropriavit, tanquam, ob nexus Scripturae Sacrae cum applicatione Salutis, in qua quippe instar Medii est, ad adaptandum hocce, quo utitur, Medium, si quis alius apitissimus; ne quid de iure, et reliquis illis requisitis perfectionibus, Spiritui Sancto cum Patre et Filio per unam essentiam divinam ex aequo competentibus, dicamus; ut, omniscientia, sapientia, sanctitate, et bonitate, coll. I Cor. II, 10. 11. Jes. XI, 2. Princeps hic S. S. Auctor Spiritus S. porro usus est causis quibus-

quibusdam ministerialibus, tanquam auctoribus secundariis, nempe sanctis illis viris Dei, ut vocantur, Prophetis et Apostolis II Sam. XXIII, 2. coll. Act. I, 16. I Petr. I, 11. 12. II Petr. I, 21. Eph. II, 20. et ita quidem, ut non solum hos ad scribendum peculiari ratione impulerit, praeparaverit, et inter scribendum gubernaverit, verum etiam ipsa scribenda, tam quoad res, quam quoad verba, iisdem suggesterit. Ista, qua Sacra Scriptura ab ipso Spiritu Sancto, instrumentis illis ufo, in literas relata est, ratio, θεωρευσία h. e. *inspiratio Dei* dicitur, II Tim. III, 16. voce desumpta de *flatu* venti, aerem obiectaque corporea, versus quae fertur, commovente et impellente, Jes. XVII, 13. Act. II, 2. quemadmodum et ipse Spiritus a *flatu*, sive venti, sive oris, sui symbolo, processionem ipsius optime adumbrante, Nomen accepit. Propter hanc vero inspirationem Spiritus Sanctus est ille סְפִירָה, h. e. *Scriba velox*, vel ex alia vocis סְפִירָה significatione, in Aethiopica Lingua frequentissima, et cum priore conjugenda, *Scriba doctus*, cuius stilus, tam manus virorum sanctorum, et speciatim digitii, quorum usus ad scribendum potissimum requiritur, quam lingua eorundem fuit, Pf. XLV, 2. coll. Ezech. IX, 2. 1 Par. XXVII, 32. Atque de hoc inspirationis operae etiam tantum. Iam itaque quicquid, et ad oeconomicas, et ad communes Spiritus Sancti operationes externas, quae coniunctim opera ipsius characteristica constituunt, pertinet, consideravimus. Verum sunt adhuc inter opera Dei externa, eaque communia, quae reliquis quidem Personis appropriate tribuuntur. Spiritui Sancto tamen etiam ex parte competent. Ex illis nunc saltem illa duo creationis et providentiae, primae Personae terminative adscripta, tangemus. Quod ad creationis opus attinet, Spiritus Sanctus toti universo generatim motum vitam ornatum et ordinem dedit. Specialiter coelum cum

cum toto eius exercitu per Spiritum oris Dei factum, Ps. XXXIII, 6. et quidem, secundum Iob. XXVI, 13. non pulchre, sed pro emphasi Coniugationis Pielicae, significacionem intendentis, pulcherrime. Circa terrae partes Spiritum Sanctum etiam suisse occupatum, ex Gen. I, 2. colligitur, ubi ipsum instar venti vehementis motum super aquis terrestribus fecisse legimus, coll. Act. II, 2. Specialissime vero in creanda creatura pulcherrima, ab ipsa pulchritudine dicta, homine, occupatus fuit, et quidem non solum circa animam, quae ut spiraculum vitarum in natus hominis spirata dicitur Gen. II, 7. qua phrasí ad Spiritum Sanctum haud obscure respicitur, ceu partim ex ipsa spiraculi voce *רֹאשׁוֹ*, cum illis *תְּבַנֵּה* et *מִזְבֵּחַ* convenienter, et de Spiritu S. aequo ac illae adhibita, Iob. XXXII, 8. XXXIII, 4. partim ex eo quod eadem Persona tanquam halitus oris Dei saepenumero consideratur, partim ex collatione locorum Iob. XXVII, 3. XXXII, 4. Iob. XX, 22 confit, sed etiam circa corpus, cum anima in institutionis statu aequo ac in statu restitutionis operationum Spiritus Sancti obiectum. Vtramque primorum hominum partem essentialiem ad imaginem Dei condidit, siveque partim animam qualitatibus cum divinis perfectionibus convenientibus exornavit, eique variam, imprimis triplicem, facultatem indidit, partim corpus sursum versus erectum, splendens, variis organis constans, et maximam partem trinum, ita ut in ipsis quoque dignis trinitas quedam observetur, excellentissime formavit. Quoad alterum connexum providentiae opus, sub quo et conservationem et gubernationem comprehendimus; et iam in hoc Spiritus Sanctus operam suam confert, et quidem tam ordinariis, quam extraordinariis effectibus, Ad ordinarios effectus pertinet primo, quicquid secundum leges naturae circa res inanimatas et ratione destitutas versa-

D
tur.

etur. Adscribitur vero hoc Spiritui Sancto Ps. CIV, 29. 30. vbi Spiritus vocabulum de Spiritu Sancto intelligi debet, comprobante ipso Chaldaeo Interpretate, item Ps. CXLVII, 17. et Ies. XL, 7. Deinde maxime homo harum operationum obiectum est. Hinc Elihu Iob. XXXIII, 4. *Spiritus Dei inquit fecit me, et spiracula Omnipotentis vivificavit me*, coll. Ezech. XXXVII, 9. 10. Rom. VIII, 11. Ioh. VI, 63. Atque animae facultates dotesque singulares Spiritui Sancto deberi, testis est Bezaleel ille, qui ad *ingeniose excogitandum, artificioseque operandum, a Deo implendus* dicitur *Spiritu Dei, in sapientia, et in intelligentia, et in cognitione, et in omni opere* Exod. XXXI, 3. 4. coll. c. XXVII, 3. Ad extraordinarios effectus pertinent quaevis miracula, five mutationes, quae in viribus rerum creatarum, legibusque mutationum, atque proinde natura rerum non fundantur. Haec vero miracula peculiariter quodam modo Spiritui S. tribuuntur, ut in gratiae, ita etiam in naturae, quod vocant regno Act. IV, 27. atque itidem διάφυσις vocantur Actor. II, 22. VIII, 13. et πνεῦμα Ioh. V, 6. coll. Ioh. VII, 39. Sic extraordinaria illa opera per Simsonem facta Spiritui S. tanquam Actori vindicantur Iud. XIV, 6. XV, 14. Sic ipse Servator se miracula sua per Spiritum Sanctum agere dicit, et Pharisaeos miracula illa blasphemantes blasphemiae in Spiritum Sanctum arguit Matth. XII, 28. 31. 32. Atque longam seriem miraculorum, per Apostolos perpetratorem, eidem tamen Spiritui, qua Auctori primario, adscriptorum, legimus I Cor. XII, 10. 11. coll. Act. II, 2. 3. X, 45. 46. XIX, 6. Atvero iam satis est operationum. Nos qui in operationibus Spiritus Sancti saltem delineandis operati hactenus sumus, etiam huic nostrae operationi nunc quidem coronidem imponimus.

Atqui

Atqui Vobis, Cives Charissimi, pro exiguis, quibus circumscripti fuimus, limitibus, de *Spiritu Sancto Dei Dige*to commentati quaedam fumus. Invitavimus Vos, invitatique comparuitis spectatum operationes, quas ille Dei Digi^{tus} in maximo suo theatro, vel, si ma-
vultis, campo, spectandas offert. Iam quid Vobis de operationibus illis videtur? An non cum Paulo exclamat: o profunditatem divitiarum, et sapientiae, et cognitionis Dei! quam imperscrutabilia sunt iudicia illius, et imper-
veſtiligabiles viae ipsius! Quis enim cognovit mentem Do-
mini? aut quis consiliarius eius fuit? Rom. XI, 33. 34.
Sive cum Iesaiā, cum quo Paulus uno ore locutus est:
Quis exācte libravit (יְבָרֵךְ), h. e. accuratissime cognovit,
Spiritum Domini? et quis tanquam vir consiliī eius scientiam
impertiet ei? Ies. XL, 13. coll. v. 14. 28. At ipsimet Vos,
Cives, quanti quanti estis, in immenso illo theatro non
solam spectatores, sed et ex parte actores quasi ministe-
riales simul estis. Profecto Vos quoque *Spiritus Dei*
fecit, et *spiraculum omnipotentis* Vos vivificavit, Iob. XXXIII,
4. Etiam Vos idem ille Spiritus ubicunque et quando-
cunque gubernat. Psalm. CXXXIX, 7. sq. Quid? quod
Vos vel in regno naturae operationum Digi^tti Dei praecipu-
um obiectum estis. Hoc autem, quemadmodum Vobis ma-
gnam excellentiam conciliat, ita et Vos officii vestri ad-
monet. Nimurum oportet Vos etiam in regno gratiae esse
*Spiritus Sancti noua, creatos nova creatione ad opera bo-
na, ut in illis ambuletis* Eph. II, 10. Estis vero tale
Digi^tti Dei noua, si, ut rex ille sapientissimus, vel po-
tius per hunc ipsa Sapientia hypostatica loquitur, *praecip-
ta atque doctrinam divinam*, in Libro Scripturae Sacrae
ab ipso illo Digi^tto, ut Scribi doctrinam, descriptam, di-
gitis vestris alligatis, et super cordium tabulis scribiti, Prov.
VII, 3. coll. III, 3. VI, 21. hoc est, si non solum doctrinam


Spiritus S. maximo in prelio habetis, eandemque perpetuo memoria tenetis, perinde ut annulus digitii pretiosus, (cum quo ipso Spiritus S. etiam comparatur Luc. XV, 22. Eph. I, 13. 14.) ornatus causa digito solet alligari, et instar memorialis oculis continuo obversatur; verum etiam alta mente reposam manentem, etia operibus praemicantem, sollicite servatis, sicuti ea quae super tabula scripta sunt manent, (litera enim scripta manet,) praeminent, ac prae-micant, ita ut a quovis animadverti et legi possint. Dicitis forte cum illo Eunuchō: *quonodo possumus, nisi quis nos in viam duxerit?* Act. VIII, 31. Agite, adiungite vos ei-dem Spiritui, tanquam Hōdego optimo, qui viam Vobis monstrabit, in omnem veritatem vos ducturus, sique ipsemet legem suam cordibus vestris inscripturus. Atque tunc declarabimini, *quod istis epistola Christi, quae intel-ligitur et legitur ab omnibus hominibus, inscripta, non atramen-to, sed Spiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.* II Cor. III, 2. 3. P. P. in

Academia Iul. Carolin. die Vigiliarum Pentecostalium A. C. MDCCLVIII.



153883
X 2286633

R





DE
**SPIRITV SANCTO
DEI DIGITO**
COMMENTATIO.
QVA
PENTECOSTALIA SACRA SOLEMNIA
A. R. M D C C L V I I I
SANCTE CELEBRANDA
INDIXERVNT
ACADEMIAE
IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR
ET
SENATVS ACADEMICVS.
HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS